



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,
insignes & peruetusti**

Petrus <Chrysologus>

Lvgdvni, 1623

De Christi resurrectione, & quarta manif[e]statione facta duobus euntibus
in castellum. Sermo LXXXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](#)

mihi pendentι insultauit in cruce, dicens , Alios sal- *Matt. 26.*
 uos fecit, seipsum saluū facere non potest: si rex Israel
 est , descendat de cruce , & credemus ei. Et quid est
 maius, excussis clavis descendere de cruce, aut ab in-
 feris calcata morte descendere ? Ecce & meipsum
 saluum feci, & ruptis inferni vinculis ad superna cōn-
 scandi: & tamen neque apud vos fidem meā deitatis
 inueni. Aut forte triduana mors abnegat fidem cre-
 dendi. Nonne quatriduanum *Lazarum* iam fœten- *Ioan. 11.*
 tem vobis coram vocauit ab inferis vox mea ? mea
 iussio reuocauit ad vitam ? Et si seruus quatriduanus
 surgit , cur triduanus dominus non resurgit ? *Adhuc*
autem illis non credentibus præ gaudio & mirantibus.
 Votiva gaudia & cuncta data fuerint , vix creduntur:
 optata cum perueriant , dant stuporem : hinc est
 quod Apostoli resurrectionem Christi celeriorem
 quam sperauerant, admirantur: & quod credunt tar-
 dius, non est perfidiæ, sed amoris, scrutantes enim ta-
 liter fidem non abnegant , sed requirunt: & dum in-
 tendunt altius verum esse quod intuentur, exoptant.
 Fratres , discipulos ad ista tardos , stupidos ad tan-
 ta, non perfidiæ timor , sed causæ præstigit magnitu-
 do , visa non videre, nescire scita, credita non crede-
 re , non incredulitas facit, sed miraculum singulare.
 Fratres, ad virtutes natura est nimis infans, quæ nisi
 per Deum creuerit , capere matura non potest , non
 valet perfecta sentire. Deus ergo quod per nos non
 possumus, ipse nos capere per se, & sentire concedat.

*De Christi resurrectione, & quarta manif statione
 facta duobus euntibus in castellum.*

Sermo LXXXII.

Quoniam Matthæus sanctus iam nobis quæ de-
 refur

resurrectione domini cognouerat , salutariuer indicauit, hodie, quid etiam beatus referat Marcus audiamus.

Mar. 16. *Et cum transiit, inquit, sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome, emerunt aromata, ut venientes ungenter Iesum.* Mulieres hoc loco fœminea deuotione discurrunt, quæ non vt viuenti fidem, sed vt mortuo vnguenta deferunt ad sepulchrum, & sepulto parant mœroris obsequia, non resurgentib⁹ diuinorum gaudia triumphorum. Mortem Christus, vt mors moreretur, accepit : Christus dum occiditur illud quod omnes occidebat, occidit : sepulchrum Christus infernum patefacturus intrauit. Soluta ergo lege tartari, & inferni carcere destructo, & ipso mortis imperio perēpto; iam Christus nō est vngendus vt mortuus, sed adorandus vt victor. Mulieres pernoctant, vigilant, insomnes agunt, obscura penetrant erumpentis auroræ : vnde etiam lucem dubiam non minus cordis videntur sustinere, quam corporis. *Et valde mane, inquit, una sabbathorum, veniunt ab monumentum orto iam sole.* Si valde mane, quomodo orto iam sole? Sic nescit Euangelista quid dicat ? Euangelista quid dicat scit, sed quid audiat, qui non didicerit nescit, non est erroris ista relatio: veritatis est: nec lapsum patitur sermonis humani, sed rei gestæ cœlitus aperit veritatem. dixerat: Ab hora sexta, usque ad horam nonam tenebræ factæ sunt: ergo Sol qui præter horam vt domino compateretur, abscesserat, claritate cum resurgeret Dominus ante tempus occurrit: & qui vt uo commoreretur auctor, ipsam meridianam suam mortificauerat claritatem, vt consurgeret auctori suo, euictis tenebris ante uicanus erupit. *Valde mane.* Quia tunc sol vt mane faceret, manicauit: & qui ante nocte fugerat, nunc ipse noctem præuenit fugaturus, vt reddat luci nox horas,

Mat. 25.

horas, quas terror dominicæ passionis inuaserat. *Dicebant, inquit, ad inuicem. Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Ab ostio monumenti, an cordis? à sepulchro, an ab oculis? Mulieres, obseratum est pectus, oculi sunt clausi: & ideo patefacti sepulchri gloriā non videtis, oleum non corpori dominico, sed lucernæ cordis vestri, si videre desideratis, infundite, ut luce fidei pateat, quod clauditur incredulitatis obscuro. *Et respicientes, inquit, viderunt lapidem reuolutum: erat quippe magnus valde.* Plane magnus, & magnus valde, & plus iam magnus merito, quam forma, qui creatoris mundi corpus & claudere, & operire suffecit. *Et introeuntes monumentum, viderunt iuuenem sedentem à dextris, coopertum stola candida.* Introierunt sepulchrum, ut consepulta Christo, Christo consurgerent de sepulchro: & impleretur illud Apostoli, *Consepulti estis ei in baptismo, in Colos. 2.* quo & resurrexistis. Vident iuuenem, vt cernerent nostræ resurrectionis ætatem: vident iuuenem, quia nescit resurrectio senectutem, neque ætates recipit æterna perfectio. Homo ubi nescit nasci, mori nescit: & ubi nasci, morique nescit, ibi ætatum nec admittit detrimentum, nec indiget incrementis. Vident iuuenem sedentem à dextris, quia resurrectio recipit nil sinistrum. *Vias, inquit, quæ à dextris sunt, nouit Dominus.* Et Tunc statuet iustos ad dexteram suam. Orate fratres, vt & nos moriamur vitiis, sepeliamur temporalibus pompis, vt æternitati resurgamus in Christo, & à dextris positi mereamur audire, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum Mat. 25.* quod vobis paratum est ab origine mundi. *Cooperatum stola candida.* Stola ista non ex mortali vellere, sed ex virtute vitali: splendens cœlesti lumine, non colore terreno; & clara creatoris munere, non arte ful-

*Proph. 2.
Iuxta
LXX.*

T lonis,

Psal.103: Ionis, dicente Propheta: Amictus lumen sicut vestimentum: & de iustis. Tunc iusti fulgebunt sicut Sol. Terreni terrenis velati sunt vestimentis: & ideo sicut nouitate splendent, ita vetustate sordescunt; cœlestes verò amictu cœlestis luminis ambiuntur: & à terreno squalore suspensi, nec fœdantur vetustate vñquam, nec vllis sordibus obscurantur, sed vestes quas semel dederit resurrectio, perpetuo lumine vestiuntur. At illæ exeuntes de monumento, fugerunt: inuaserat enim illas tremor & paucor. Angelus sedet in monumento, de monumento fugiunt mulieres: quia ille de cœlesti substantia confidit, turbantur istæ de conditione terrena. Sepulchrum qui mori non potest timere nescit: mulieres autem & de facto tremunt, & sepulchrum sicut mortales adhuc mortaliter expauescunt: hinc est quod nemini quicquam dicunt. Et nemini quicquam dixerunt. Quia mulieribus audire, non loqui datum est: discere datum est, non docere: dicente Apostolo: Mulieres in Ecclesia taceant. Denique eadem Maria postea & vadit, & nunciat, sed iam non fœminam, sed Ecclesiam gestans: vt ibi sicut fœmina taceat, hic vt Ecclesia enunciaret & loquatur. Post hæc, inquit, duobus ex his ambulantibus ostensus est. Quare non tribus, quare non quatuor, sed duobus? Quia duobus populis, id est, Gentibus & Iudæis resurrectionis fides hic prædicanda monstratur: vnde sicut diximus, probatur in duabus fœminis, aut in discipulis duabus Ecclesiam vnam figurari. Ostensus est in alia effigie. Nemo putet Christum sua resurrectione sui vultus effigiem commutasse, vt qui in vulnere erat ipse, alter esset in vultu: sed mutatur effigies, dum efficitur ex mortali immortalis, & ex corruptibili incorruptibilis: vt hoc sit mutasse substantiam, non mutasse personam,

sonam,& acquisuisse vultus gloriam,non vultus notitiam perdidisse. Et ne festiuus sermo aut fugiat, aut transfuoleat quæstiones , quod sequitur proximo sermone , Domino reuelante , innotescamus.

De noua Christi manifestatione facta, recumbentibus undecim discipulis, Sermo L, XXXIII.

Hodie beatus Euangelista sic retulit Apostolos in ipso crucis tempore mensis deditos, inhiantes epulis , conuiuiis occupatos, Dominicæ passionis oblitos. *Recumbentibus, inquit, illis undecim, apparuit Dominus.* Recumbentibus, vbi? ad sepulchrum Domini, mox ad mensam serui? Hæc est seruorum fides ? hæc discipulorum charitas ? hic Petri ardor? hæc est Ioannis de ipso Christi pectore assumpta dilectio ? hæc est tanto tempore , tantis donis, virtutibus tantis, affectio conquisita, vt in ipso articulo passionis, calente adhuc morte, recenti adhuc funere , exulantibus inimicis , insultante Iudæa tota , discipuli toto tori cultu , totaque discubientium voluptate prandarent? Moysi mortuo assistunt Angeli , agit sepulchri *Deut. 34.* curam Deus ipse : Iudaica castra fistuntur, dissimulatur iter, horrida eremistatio duratur, indicitur trignita dierum planctus, & longo lamentationis obsequio seruile funus honoratur , & Christus verus unus Dominus, creator rerum, redemptor omnium, post illam tragicam passionem, post mortem, & mortem crucis, triduanus à discipulis lachrymas non meretur? Terra tremit , turbatur tartarus , scinduntur saxa , monumenta dissiliunt , Sol fugit , dies sepelitur, fit nox rotund , & soli discipuli alto sigmate , choro uno, roto otio , deliciis securi epulantur : & hoc fratres reuerlus ab inferis ipse sic magister inuenit. *Recubentibus ergo illis undecim, apparuit dominus,* & exprobavit

T. 2

increduli